



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,  
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

11 Quibus poenis, & qua ratione inquisitores in hoc crimine procedant.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)



tio, & humano. Ergo fortius vinculum iuris naturalis prevailere debet minus forti. At neque hanc excusatio mihi placet, quia secretum servare non debes, quoties credit eius observatio in damnum contrarie. Sed non demerere sollicitantem non emendatum vergit in damnum sacramenti Penitentiae & illuc accedendum, quibus venenum loco medicinae paratur. Ergo non tenentis illud observare ut latius diximus p. 14. de correct.

## PUNCTVM XI.

Quibus poenis, & qua ratione Inquisitores in hoc crimine procedant.

- 1 Quomodo reus duobus testibus testificatus sit, non recluditur in carcerem.
- 2 Causa conclusa vocantur consultores Ecclesiastici, ut eorum consilio proferatur sententia, & qua forma profertur.
- 3 Si ante testificationem reus se desert, non recluditur, & facta graui reprehensione dimittitur.
- 4 Quid si reus neget, dum ex duobus testibus eius delictum probatum.

**Q**uomodo reus duobus testibus, vel tribus testificatus sit, non recluditur in carcerem, quia cum hi testes singulares sint, & regulariter praesumptio fiet pro Sacerdote, requiritur probatio efficacior, quam in aliis delictis. Quapropter in Hispania non solent particulares Inquisitores sine consilio supremi Senatus aliquem specialiter religiosum in carcerem secretum detinere. Si autem persona testificans non sint satis qualificata, propria domus, vel ciuitas assignatur reo pro carcere: interim tamen quo agitur causa, prohibetur delinquens à Missae celebratione, administrationeque sacramentorum, & praedicatione.

2 Causa conclusa vocantur consultores Ecclesiastici tantum, & eorum consilio Inquisitor, & ordinarius proferunt sententiam, illamque reo denuntiant in tribunali secreto. Nam licet Didac. Caneza in *quæst. de haeretic. n. 95. fol. 426.* sentiat in publico actu fidei legi debere, tricesimus sic delinquentem esse condemnandum, eius sententia in praxi non est recepta, & me-

rito, ne plures sumpta inde occasione à receptione sacramentorum abstinere, neque haeretici, qui sic penitentiam detestantur, Confessores irrideant. Legitur ergo sententia secreto tribunali praesentibus duobus cuiusvis ordinis religiosi Confessoribus, ibique grauius reprehensus aburat de leui, & ab audiendis confessionibus, & praedicatione, verbis Dei perpetuo priuatur, si casus grauis sit, hoc est, si plures sollicitauerit, sollicitationis effectum esse consequutus: si autem casus ita grauis non est, aliquibus annis priuatur ab excipiendis virorum confessionibus, & in perpetuum mulierum, & vno, vel duobus annis in aliquod monasterium recluditur, quod si religiosus sit, praecipitur, ut in choro, & refectorio, aliisque locis communibus vitam sedem habeat, voce actiua, & passiua interim priuatur. Et aliquoties hanc sententiam iterum per secretarium in suo contentu, praesentibus omnibus religiosi legitur, ut illis in exemplum sit, & delinquenti in confusionem. Quod si sollicitatio ad plures personas se extendit, & cum illis turpitudines graues commisit, ab omnibus religiosi post lectam sententiam flagellatur. Adde me vultu aliquos ob hoc crimine relegatos, & vitibus addictos, maxime cum sollicitatio virorum fuit. In qua sollicitatione, si actus consummatus fuit, in Aragoniae regno, curiae seculari delinquens traditur, quia ibidem ex speciali breui Sedis Apostolicae Inquisitores de hoc crimine cognoscunt.

3 Si autem delinquens ante duorum testium depositionem se Inquisitoribus detulit, in carcerem secretum non recluditur, sed lite contestata, & causa conclusa, ut dictum est, aburat de leui, & ab audiendis confessionibus priuatur, neque alia poena ei imponuntur. Et hoc procedit, etiam si plures sollicitauerit, quod si semel tantum sollicitauerit, & ante vltimus testis depositionem se detulit, grauius reprehenditur, neque vltra punitur. Et idem fit in casu, quo sollicitatae personae examinatae negant sollicitationem sibi factam esse.

4 Verum si reus negat delictum duobus testibus singularibus sibi probatum, Inquisitores inuestigent diligenter qualitatem testium, & animaduertant, an aliquibus indicis verosimilibus suas depositiones comprobent, & si sic reperierint, etiam si reus neget, dummodo ob inimicitiam testes non repellat, illum damnet, ut aburat de leui, & ab audiendis confessionibus abstinere. Nunquam tamen torturae reum subiciant, quia hoc crimine poena corporali regulariter non subicitur, ideoque pro eruenda veritate quaestionari non debet.

